



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIX. Gregorii Papae I. Ad Dominicvm Episcopvm Africae. Petit se
orationibus iuuari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

temporibus, atque eo ordine, quibus decessorem quoque tuum vsum esse non ambigis: hoc nihilo minus admonentes, vt sicut a nobis huius decoris vsum ad sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate, ad gloriam in Christo nostram, susceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huius corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent. Omnia enim priuilegia quæ tuæ pridem concessa esse constat ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD DOMINICVM EPISCOPVM AFRICÆ.

Petit se orationibus iuuari.

Gregorius Dominico episcopo Africæ.

EPISTOLARVM vestrarum plena sacerdotali caritate elocutio ita sanctitatem vestram memoriter nostris facit mentibus inharere, vt non credatur abesse corpore; quippe quæ per affectus semper manet in corde. Vt ergo hæc quam ad alterutrum habemus dilectio cælestium nobis commodum acquirat gaudiorum, nostri simus inuicem adiutores, & auxilium nobis orationis mutuæ porrigamus, quatenus diuina misericordia clementiæ suæ nobis dono concedat, & prædicare quod diligit, & sequi hoc quod per nos prædicare concessit: sicque officii nostri ministerium pietatis suæ protectione disponat, vt fructum de creditis eidem venienti Domino reportemus, & ad futura æquitatis præmia cum aliorum lucro eius adiuuante gratia perducamur. Quia vero scriptum est: *Orate pro inuicem, Iac. 5. ut saluemini*; vt ad hæc peruenire mereamur, & me pro vobis apud sacratissimum beati Petri apostolorum principis corpus, & vos pro me apud sanctum Cyprianum martyrem, orationibus decet incumbere. Preces etenim nostræ tanto celerius in dominicæ pietatis aurem subleuantur, quanto eas vicissim pro vobis fusas caritatis ardor exacuit. Sed quia sanctitas vestra nudis me verbis alloqui recusât, epistolis quoque xenia coniunxit. Quæ nos cum gratia-

Concil. Tom. 13.

Ppp

rum actione suscepimus : sed tamen plus mentis vestræ affectu, quam rerum copia delectamur.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM.

Præcipit adiutorium impendere Ioanni episcopo.

Gregorius Cypriano diacono.

Ioan. diac.
lib. 3. c. 20.

SICVT dilectio tua studiose laborauit pro persona fratris & coepiscopi nostri Ioannis, vt in Syracusana ecclesia auctore Deo debuisset ordinari, ita nunc necesse est, vt per dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quemdam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen a fratre & coepiscopo nostro Leone in Catanensi ecclesia dicitur ordinatus : & quia in nouam ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, vt cum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inueniat vbi requiescat, prædicto fratri, & coepiscopo nostro Leoni blande & leniter persuadere debes, vt ei præfatum presbyterum cedere debeat, ne quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destitueret fortasse videatur. Sed sicut idem frater & coepiscopus noster Ioannes, quantum ego in eius mente didici, eius se esse archidiaconum, nec ob episcopatum susceptum obliuiscitur, ita eum sæpefatus frater & coepiscopus noster Leo suum proprium debet attendere, & non solum de vnus persona presbyteri, sed in quacumque re eius solatio indiguerit, sua ei ministrare auxilia.

Mense Nouembri, indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM HYDRVNTINVM.

Visitationem Brundusii & Gallipolis iniungit.

Gregorius Petro episcopo Hydruntino.

PASTORALIS nos cura cōstringit ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis sollicita consideratione prospicere, ne proprio decedente rectore, contrarium, quod absit,